

P H N S

1 6 0 6

8952



Rep. XXXV. 3. no. 58.

DE
METHODO

MEDENDI

DISPUTATIO PRIMA,

DE METHODO ET
INDICATIONIBVS:

In qua,

CUM DEO,

SUB PRÆSIDIO

DANIELIS SENNERTI,
MEDIC. DOCT. ET PROFESS. P.

Respondentis partes sustinebit

VVOLFANGVS VVEIS,
Austriacus.

Ad diem XXVII. Augusti.



VVITTEBERGAE,

Ex Officina Cratoniana. Anno 1603.





REVERENDISSIMIS,
ILLVSTRIBVS, GENEROSIS, STRENV-
IS, AC NOBILISSIMIS DOMINIS, DN. ABBATUM BA-
ronum, & Equitum, In potentissimo Austriae infra
Anisum exarchatu, Ordinum ac Procerum Incluto-
rum, Dominis Ordinarijs dignissimis: Domi-
nis meis Clementissimis & co-
lendissimis.

Exercitium hoc medicum

*In debita observantia symbolum & studio-
rum testimonium:*

Dedico & offero

Wolfgangus Weifs:

Respondens.





ΣΥΝ ΘΕΩ.

DISPUTATIONIS I.

THESES. I.

Artis Medicæ finis est sanitas. Hæc autem vel præsens est, quæ conservari: vel amissa ac deperdita, quæ reparari ac restitui, morbo, qui eam lædit, profligato, debet. Duplex hæc finis medicinæ consideratio duas Medicinæ principes ac maximè proprias partes parit, quarum una, quæ præsentem sanitatis statum tuetur, ὑγιεινὴ; altera, quæ morbos profligat, & amissam sanitatem reducit, Θεραπευτικὴ appellatur.

II

De posteriore autem aliquot disputationibus agere, methodumque medendi seu amissam sanitatem restaurandi privatis disquisitionibus subjicere, nobis propositum est.

III.

Numerò autem nobis in mentem venit Aristotelis, qui de animalibus scripturus i. de part. animal. questionem movet: An, cum plura sint, quæ eadem in multis generibus diversis inter se insunt, ut sunt somnus, respiratio, auctio, diminutio, mors, similesq; alij affectus & dispositiones, commodius sit, primò communiter in genere de ijs agere, & post de speciebus, & si quid proprium in homine, equo leone &c. habeant, in specie explicare. An verò protinus, omisso generali horum tractatione, quæq; singulatim persequi, & qua ratione in speciebus insunt, explicare conveniat.

IV.

Concludit autem commodius esse, ea quæ in multis insunt communia, in genere tractare, quàm eadem in speciebus solum explicare. Hoc enim si fiat, eventurum omnino, ut sæpe eadem iterentur; cum illa, quæ pluribus sunt communia, in singulis speciebus explicanda sint.

A 2

Eadem

V.

Eadem dubitatio etiam hinc in principio harum exercitationum locum habet. Videmus enim eos, qui de curatione morborum scripserunt, non eidem via insistere. Galenus quidem in libris 14. Methodi Med. & in duobus de arte curandi ad Glaucon. eam viam, quam Aristoteles approbat, ingressus est. Cum enim sint tria morborum genera, intemperies, mala compositio & solutio unitatis, & uniuscuiusque generis rursus differentia plures: istarum differentiarum omnium curationem ordine docet, simulque à prima usque ad ultimam indicat, qua ratione, ob naturam partium diversam, aliasque circumstantias, cura variet. Diversam verò ab hac rationem secuti sunt Galeno posteriores plerique, & imprimis Arabes, ac qui proximis seculis de morborum curatione scripserunt, qui neglecta hac generali via, singularim à capite ad calcem, de morborum particularium curatione scripserunt.

VI.

Etsi verò & hac Practicorum doctrina preclara sit & haud quaquam damnanda: tamen omnem, quam habet, soliditatem ex generali methodo obtinet; & ἐπισημονικώτερον ac μεθοδικώτερον est priore via ingredi. Affectio enim generica generi est accommodanda, non speciei (quod vitiosum est, secundum Arist. 1. Post Analyt. 5.) & primo subjecto attribuenda.

VII.

Quapropter cum tria sint genera, ad quae omnes omnino morbi, qui alias infiniti ferè videntur, artificiosè revocari & redigi possint: intemperies nimirum, quae primò partibus similaribus competit; compositionis vitium, quae partibus accidit, quatenus organica sunt; & unitatis solutio, utrisque communis: artificiosum & simul compendiosum est, generalem hac morborum genera curandi rationem tradere; & si quae in curatione, ob partium differentiam, accidit varietas, eam etiam breviter notare.

VIII.

Verbi gratia Universalis est omnes inflammationes curandi ratio. Haec igitur generaliter proponere, & quid partium inflammata-

mata-

matarum varietas in ea curatione variandum suadeat, breviter admonere, longè artificiosius & compe rdiusius est, quàm si meningum cerebri, oculorum, aurium, faucium & colli, pleure, pulmonum, ventriculi, Epatis, intestinorum, lienis, renum, vesice, uteri, articularum, aliarumq; partium phlegmone laborantium, peculiaris curandi ratio prescribatur & subinde in singulis eadem ferè victus ratio, chirurgica, & pharmaceutica prasidia repetantur. Sic etiam communes sunt caput evacuandi leges, quas semel recte tradere, artificiosius est, quàm sepius in dolore capitis, vertigine, lethargo, apoplexia, Epilepsia & similibus, repetere.

IX.

Ex his igitur patet, Practicorum usitatam methodum, potius, methodi medendi per omnes corporis partes exercitationem esse. Quae quidem & ipsa necessaria est: universalem tamen hanc methodum presupponit. Quod Gal. etiam monuit lib. 9. Meth. M. c. 6. ubi scribit: se pro comperto habere, non licere ullius artis scientiam nancisci, nisi & methodum quandam habueris per universalia vocata theoremata, & in particularibus exemplis te exercueris. Cum neq; fieri possit, ut sine multiplici in singularibus exercitatione, quod ex usu sit, faciamus, neq; sine universalium cognitione exercitatio procedat.

X.

Huic igitur Galeni consilio egregius futurus medicus obtemperabit, & neutrum contemnet, sed & in particularibus se exercet; quod docent practicum libri, & adhuc particularius & manifestius consilia & observationes medica. quae, quod Gal. in 1. Epidem. comm. 3. aphor. 17. de historiis agrorum apud Hippocratem ait, sunt quasi universalium praeceptorum *παράδειγμα*, rectissimeq; ipsa *ἀντιτύποι* & curationis in individuis observationes, quae nec scribi nec dici ad unguem potest, teste Gal. 3. Meth. Med. c. 3. In primis verò generalem methodum cognoscet, sine qua in particularibus se exercere non poterit.

XI.

Quapropter & nos de methodo medendi acturi generalem quandam trademus, quae omnibus particularibus sit communis; quam

A. 3:

obser-

observantes, eiusque ductu, ordine perpetuo & via nunquam interrupta, à generalissimis indicationibus per genericas, sub alternas & específicas tandem ad specialissimas & appropriatas progredientes, quid in cuiusque morbi curatione opus sit, videre possimus.

XII.

Hac cum Gal. esset instructus, eos morbos se curasse scribit, 3. Meth. Med. 3. quos neque ipse ante curaverat, neque à præceptore curari viderat. Et rectè sanè. Nam methodum qui tenet, & præterea medicamentorum vires habet perspectas, eum nunquam idonea medicamenta deficient. Contra, quamvis quis optimorum medicamentorum copiosam suppellectilem habeat; methodum autem non teneat: ea medicamenta non solum non erunt θεῶν χεῖρες, sed potius ignis in manu stulti, aut gladius in manu furiosi.

XIII.

Eræmus autem illam methodum ex Galeni præcipuè libris 4. de methodo med. scriptis, ac duobus de arte curandi ad Glauconem. In quibus etsi pluribus & prolixè hanc methodum descripsisse videtur: explicatione tamen plerumque opus habet; adeo quidem, ut non sine causa Hieronymus Capivaccius, in principio meth. medendi, dicat, se ignorare, quinam hucusque Galenum rectè intellexerit.

XIV.

Definit autem methodum medendi Capivaccius, quod sit Ars, qua per indicationes auxilia inveniuntur, ut deperdita hominis sanitas restituatur. Methodus enim medendi, (sicut & ipsa tota Medicina) est habitus quidam principalis effectivus, indicationibus tanquam instrumentis utens ad invenienda procuratione morborum remedia. Indicationes siquidem proprium dogmatici Medici instrumentum sunt, quo ab aliis sectis secernitur.

XV.

Ex his manifestum evadit Methodi medendi finem duplicem esse: Internum, inventionem auxiliorum, seu juvantium in quolibet morbo, teste Gal. 2. Meth. med. 7. seu potius inventionem indicationis curativæ: Externum, amissa hominis sanitatis restitutionem; seu, quod idem est, morbi depulsionem. Ad quem respi-

ciens

ciens Galenus 9. Meth. med. c. 15. Curationem seu methodum medendi definit, quod sit presentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio.

XVI.

Quod autem dictum est, finem methodi medendi esse invenire auxilia in quolibet morbo: id de morbis solum, quorum essentia & natura nota est, accipiendum. Nam qui occultiori modo corpus nostrum oppugnant, quos à tota substantia vocant, eorum remedia non Methodo, sed experientia solum inveniuntur: etiam Galeno teste, qui i. Methodi med. c. 6. scribit: Eorum solum, quae contraria qualitate sunt, (manifesta intellige) methodum esse: eorum vero quae tota substantia adversa sunt, methodum non esse, sed per experientiam solum inveniri remedia. Qua de causa etiam morbos totius substantiae in lib. de differentiis morb. omisit: cum eum librum solius methodi med. gratia conscripserit, & ad ea, quae de curandi ratione scripturus erat, direxerit; ut ipsemet fatetur lib. de differ. morb. c. 12.

XVII.

Cum autem methodi medendi proprium instrumentum sit indicatio, & de methodo medendi agere sit de indicationibus curativis tractare: nobis etiam, quibus de Methodo med. agere institutum est, de Indicationibus, simulq; de Indicantibus & Indicatis (tria enim haec mutuum respectum habent, hisq; tribus tota medendi methodus absolvitur) agendum est.

XVIII.

Indicatio Graecis ἐνδειξις, ostensionem seu monstrationem significat: vocabulo à iudicijs desumpto. Ἐνδειξις enim Graecis delatio, & ἐνδεικτὴς delator. Et in genere quidem interdum pro qualibet ostensione ac monstratione accipitur, etiam ea, quae fit per signa, quae ea, quae in corpore latent, manifesta reddunt & nota faciunt. Proprie tamen & in specie, ac quatenus ad methodum medendi pertinet, significat ostensionem auxiliorum. Indicantia enim indicata quasi deferunt, & ad curationem utilia esse indicant, ac veluti digito monstrant; perinde ut olim statuae Mercuriales, in bivijis aut trivijis posita, monstrabant viatori, cui via insistendum esset. Occur-

XIX.

Occurrunt autem plures Indicationis definitiones apud Galenum. Primò enim 2. Meth. med. 7. definit indicationem ἐμφασις τῆς ἀκολουθίας sequentis seu agendi insinuationem; quæ ferè nominis explicatio est, quoquo modo indicationis naturam adumbrans. Tunc enim indicatione uti dicimur, cum id, quod invenimus ad curationem in aliquo precedente quasi delineatum & designatum habemus atq; ab aliquo monstratum videmus.

XX.

Aliam deinde definitionem habet in lib. de opt. secta ad Thrasybul. c. 11. hoc modo: ἐνδείξις ἐστίν, ὅταν κατὰ λαμβανομένοις πρᾶγματι συμπεροσπίπῃ τὸ συμφέρον, ἀνευ ἀποδείξεως καὶ παραληγήσεως h.e. Indicatio est quando percipiendis perceptis simul & quod confert percipitur absq; demonstratione aut observatione: quæ definitio tam methodo medendi, quàm methodo tuenda sanitatis communis videtur.

XXI.

Aliam deniq; quæ methodo medendi propria est, tradit hoc modo ἐστὶ τὸνινυ ἐνδείξις, ἢ συμπεροσπίπῃ κατὰ ἀλήθειαν τὰ ὠφελεῦντα, ἀλλὰ τῇ τὰ βλάπτουσα κατὰ ἀλήθειαν, ἀνευ ἰηγήσεως ἢ λογισμῶ. Indicatio est perceptio juvantis simul cum comprehensione nocentis adveniens sine observatione & ratiocinatione, seu ut alij legunt analogismo. Verum cum hæc definitio non comprehendat indicans vitale, ita perfici posset, & ita indicatio definiri: Indicatio est perceptio juvantis in indicante per causas cognitio: seu quod idem est, perceptio & comprehensio juvantis cum comprehensione indicantis citra experientiam & analogismum.

XXII.

Non autem hoc ita accipiendum, quasi Medicus dogmaticus planè non utatur experientia aut analogismo: sed ideo solum hæc Gal addidit, ut hunc per indicationes inveniendi remedia modum, qui dogmaticorum proprius est, & ex affectus per causas cognitione proficiscitur, ab alijs secerneret. Indicatio enim sola proprium Medici dogmatici ad invenienda auxilia instrumentum est.

Expe-

Experientia verò & analogismus cum aliis ipsi communis Nam dum nocens seu indicans incognitum est, indicatione uti non possumus; itaq; tum ad experientiam & analogismum confugere licet.

XXIII.

Experientiam verò quod attinet, sit ea, teste Aristotele 1. Metaphys. 1. hominibus ex memoria. Multa enim eiusdem rei memoria, unius experientia vim efficiunt. Vnde Gal. 1. de opti: secta ad Thrasyb c. 11. definit experientiam, quod sit eius, quod saepe eodemq; modo visum est, memoria & observatio. Itaq; ad experientiam sola saepe factorum noticia & memoria sine causarum cognitione requiritur. Si vero per causas cognitio accedat, iam non solum experientiam quis habere dicitur, sed rem scire.

XXIV.

Analogismus autem Galeno ibidem desinente, est comprehensio iuvantis ex similitudine. Similitudo autem illa est vel inter affectus, vel remedia, vel membra: v. gr. si quis à serpente hamorrhomorus, cui sanguis largius profluat, offeratur empirico, atq; is neq; ex causis remedium invenire possit, neq; aliàs talem affectum curaverit, remedia sanguinis fluxum cohibentia adhibeat, à simili affectu ad similem transit. simili verò remedio pro simili utitur, cum mespilum pro citonio adhibet. Ita ex similitudine membrorum procedit, cum quod in brachio profuit remedium cruri adhibet.

XXV.

Hactamen in re in Empiricorum & dogmaticorum progressu est diversitas. Empiricus enim qui rerum causas ignorat, confuso quodam modo progreditur, nec utilia symptomata ab inutilibus distinguit, unde variata syndrome symptomatum curationem temere tentat, vidensq; in tetano, ἐμπειροδοτόν & ὀπιδοτόν non eandem symptomatum faciem, eandē quoq; curationem non convenire existimat: idemq; animadvertens eundem symptomatum concursum, etsi causa sit diversa, malè eadē remedia adhibet. At dogmaticus utilia symptomata ab inutilibus distinguit, & saepe etiam eodem apparente symptomatum concursu, curationem tamen variam, si causa sit diversa, in-

B

stitui

stituit: & contra, nonnunquam variante symptomatum syndrome,
eadem tamen, cum caussa sit eadem, adhibebit remedia.

XXVI.

Sed ad Indicationem revertamur. Atq; cum intellectus no-
ster vel simplicia apprehendat, vel eadem dividat atq; uniat, vel a-
liud ex alio deducat: necesse est, ut in aliqua operationum harum
versetur medicus, dum ex indicante per indicationem indicantia cog-
noscit. ~~Dubitatum autem & disputatum hac de re à recentioribus:~~

N ~~Impugnat Horat. Augenius, tom 2 epist. l. 3. epist. 6. Alexandr,
Massariam Indicationem syllogismum esse asserentem lib. 1. de scop.
mittendis sang. & l. 2. additamenti apologeti c. 12 indicationemq; syllo-
gismum esse negat. Qua de re locis allegatis plura legi possunt.~~

XXVII.

Nos breviter statuimus: ad aliam mentis operationem, quàm
tertiam, indicationem referri non posse. Nam cum nocens & auxili-
um unum & simplex obiectum non sint, ad primam mentis operatio-
nem redigi non potest indicatio: neq; etiam ad secundam; quia non
affirmatur aut negatur auxilium de nocente: sed ex nocentis natu-
ra, auxiliij natura illatione cognoscitur.

XXVIII.

Etsi verò eodem planè momento, quo intellectus comprehen-
dit indicans, simul etiam indicatum comprehenditur, ex eo tamen
concludi non debet, non cognosci discursu & ratiocinatione, indica-
tionemq; non esse syllogismum. Nam intellectus non agit successivè,
sed cognitis principiis, absq; ulla nova cognitione cognoscitur conclusio,
& conclusioni ratione principiorum assentimur: atq; tunc dicimur u-
num ex alio deducere & inferre.

XXIX.

~~Neg. etiam hac sententia aduersatur Galeno, qui Indicationem
ἀνευ ἰνέησεως ἢ λογισμῶν fieri dicit. Nam hac Galeni mens non est, in
Indicatione ratiocinationem nullam adesse. Est enim indicatio reve-
ra Enthymema quoddam, cuius vi illud quod agendum est, invenitur.
Sed hoc solùm monet, Indicationem non esse integrum syllogismum:
aut potius, non esse opus, ut consequentia illa enthymematica ad for-~~

mam

nam syllogismi reducatur. Consequentia enim adeo manifesta est,
ut nemo eam neget, nec sit opus prolixiore ratiocinatione. Quid vero 99
si pro λογισμῶ ἀναλογισμῶ legendum esset?

XXX.

Quid autem hac consequentia adeo nota & manifesta est, fit ob
illas propositiones, quae fundamentum sunt methodi, & instar axio-
matum ac principiorum in methodo medendi: Sunt autem hac.

Omne quod indicat, vel sui conservationem, vel abolitionem
indicat.

Quod secundum naturam est, conservandum est, quod pre-
ter naturam, tollendum.

Contraria contrarijs tolluntur: similia similibus conserva-
tur.

XXXI.

Hoc autem loco de illa propositione: Contraria contrarijs tollun-
tur, aliquid addendum; cum dubitationem pati videatur, & simili-
bus etiam adhibitis morbi curentur. Verum negandum non est, Natu-
ram esse morborum curatricem, & proinde ea, quae naturam robo-
rant & confirmant, magnam habere vim ad depellendos morbos: per
id tamen veritas huius axiomatis non tollitur; cum talia non im-
mediatè & primò, sed mediatè & per aliud ad morbi depulsionem
faciant. Omnis enim morbus immediatè & primò tollitur à con-
trario. NB

XXXII.

Nam eum curatio sit motus quidam à morbo ad sanitatem, &
motus, ut est s. Physicor fiat ratione contrarietatis, etiam curatio
per contraria fiet. Mediatè tamen etiam per similia (ea tamen non
valde in suo gradu excedentia) curari posse non negamus, à talibus
nimirum, quae naturam roborant, vel spiritus in corpore nostro re-
ficiendo & instaurando, vel caloris nativi Qualitatem augendo &
intendendo, vel humidi radicalis pinguem substantiam conservando
& augendo, partisque aut totius temperamentum & naturam conser-
vando ac roborando, vel qualitatibus occultis natura robori subve-
niendo. Confirmata tamen ita natura tum demum contra morbum NB

B 2

pugnat,

pugnat, & omnes excessus ad mediocritatem naturalem reducit, atq;
ita etiam contraria morbo agit, eiusq; excessus demolitur, contrario
semper modo, illis alterationibus, quae sunt παρὰ φύσιν, sese opponens.

XX XIII.

Deinde nec hoc negandum, effectus quosdam per similia tolli. v.
gr. purgantia calida tollunt febres; fluxum alui purgatio sedat vomitus
vomitum. Sciendum tamen, quod haec etiam si morbis seu affectibus
sunt similia: ipsorum tamen causas aduersantur, quibus sublatis effectus
illi tolluntur: atq; ita haec affectus praeter naturam tollunt non per se,
sed per accidens, sublatis nimirum eorum causis purgantia nimirum
tollentia humorem peccantem febrem tollunt: purgatio alui fluxum,
vomitus vomitum sedat, sublatis nimirum causis, à quibus oriebantur.

XX XIII.

Sed iam ad indicationum differentias & divisionem accedendum.
Prima & generalissima Indicationum differentia petitur à rebus,
circa quas versantur, quae sunt secundum naturam & praeter naturam,
& est, quod alia indicatio est perceptio seu insinuatio conseruationis
eius, quod est secundum naturam, indicantis, per similia
praestanda: Alia est comprehensio sublationis eius, quod praeter naturam
est, indicantis, per contraria facienda.

XX XV.

Deinde Indicatio alia est generica, alia subalterna, alia specifica
& determinata. Generica, quam communis & generica Indican-
tis natura suppeditat: Subalterna, quam subalterna indican-
tis essentia suggerit. Specifica, quae à speciali indicantis natura pe-
titur, & etiam Determinata appellatur; v. gr. si Epar afficitur
intemperie calida: primum est morbus, à quo sumitur indicatio ge-
neralissima, eum esse tollendum: Secundo est morbus intemperiei, à
quo sumitur indicatio, esse alterandum: tertio est intemperies calida,
à qua petitur indicatio, esse refrigerandum: deniq; est intemperies
calida in secundo gradu: à qua petitur indicatio specifica, esse adhiben-
dum medicamentum refrigerans in secundo gradu. Atq; ultra ars
non progreditur, nec ultra infimas species methodus descendit. Verum
si hic

si hic subsisteret artifex, frustra artem teneret, quæ opus intendit, quod est circa singularia. Quapropter alio habitu opus est, experientia, quæ cum habitu universalium iuncta efficit artificem peritum. Cum enim sint multa medicamenta in tali gradu frigida, inter se tamen differentia, individuum aliquod eligendum est; quæ electio, omnium, quæ in arte facienda sunt, difficilissima est. Hoc etenim est, quod nec scribi, nec dici potest. Nam quanquam præcepta dentur multa, quæ ad particularia etiam descendere videntur: Coniectura tamen maximè opus est, iudicio acri, & rerum usu atq; experientia.

XXXVI.

Tertiò, alia indicatio est utilis, alia inutilis. Utilis illa est, cui aliqua respondet materia, seu quæ tale auxilium indicat, cuius materiam, quæ primò & per se affectum tollere possit, reperire licet. Inutilis vero est, quæ tale auxilium indicat, cuius materia, quæ affectum primò tollere possit, non invenitur: v. gr. esse refrigerandum hoc vel illo gradu, indicatio utilis est; multæ enim dantur materia, quibus id efficere possimus: At obstructio, quæ indicat aperiendum esse, inutilem indicationem suppeditat. Nam nullum datur medicamentum, quod per se obstructionem tollat: sed obstructionis apertio consequitur ad alia, nempe incisionem, attenuationem & detersionem educationemq; materiae obstructis.

XXXVII.

Quartò: Indicationum alia est artificiosa, alia inartificiosa. Inartificiosa est, quæ etiam aliis, quàm artifici, vulgoq; innotescere potest; seu quæ artis pars non est, aut si artis pars est, nec magna: nec propria. Vnde Galenus 3. Meth. med. c. 1. ait: Indicatio quæ à morbo sumitur (puta à generica eius essentia) principium tantum est, & ὀργάνησιον seu carcer, unde medendi ratio promoveri, nulla prorsus ipsius medicæ artis adhuc portio, aut certè nec magna nec propria, sed quæ etiam plebi sit communis. Artificiosæ verò sunt, quæ non omnibus, sed artificibus tantum notæ sunt, & ut cognoscantur

in magno artificio indigent. Inartificiosa autem indicationes sunt omnes genericae; magis artificiosa, subalterna; maximè autem & semper artificiosa, ac medendi methodo propria, specifica & determinata.

XXXVIII.

Neg, tamen hoc ita accipiendum, quòd in progressu ab indicante specifico ad indicatum specificum, maiori artificio opus sit, quàm in progressu ab indicante generico, vel sub alterno ad indicatum genericum vel subalternum. Progressus enim ab indicante ad indicatum, tam in generalissimis, quàm specialissimis, eiusdem est artificij & laboris. Nam quemadmodum, quamprimum cognosco morbum adesse, simul cognosco eum esse removendum: ita quamprimum percipio, duobus gradibus temperiem ventriculi ad frigiditatem deflexisse; mox simul cognosco, medicamentum calidum secundi etiam gradus adhibendum esse. Sed ideo indicatio specifica magis artificiosa dicitur, quòd eius cognitio difficilior est, qua cognita, usus etiam & recta auxiliorum administratio, in qua precipuum methodi artificium consistit, cognoscitur.

XXXIX.

Patet ex his etiam, qua in re artificium methodi consistit, & qua sit via illa ordinata, cui qui insistent, methodo uti dicuntur: nimirum progressus à generica indicatione, per subalternas, ad specificas & determinatas. Qua de re passim Gal. monet; ut 3. Meth. med. c. 1. & lib. 2. Meth. c. 7. ubi ait: Quisquis condere methodum parat, huic à primis indicationibus est auspicandum, atq; hinc ad eas, quae deinceps sunt, transeundum, rursusq; ab his ad proximas. Itaq; pergenti non prius persistendum, quàm ipsius compos sit finis. Finis autem est invenire cuiq; morbo remedia.

XL.

Deniq; alia indicatio est curatoria, alia preservatoria, alia vitalis, prout ab indicante curatorio, preservatorio vel vitali petitur; de quibus in sequentibus.

Quaestio-

Quæstiones.

- I. An oriantur morbi novi?
- II. An medicamentum aliquod *πανακὸς* dari possit?
- III. Quid plus possit in Medico, ratio, an experientia?

F I N I S.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



